Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Marchionum Badensium & Hachbergensium - Cod. Karlsruhe 3293 II 10

Gamans, Johannes

St. Peter auf dem Schwarzwald, 1758

Cap. XXI.

urn:nbn:de:bsz:31-267058

Visual Library

Cap. XXI.

De Bertholdo IV. Duce Zeringiæ, ejusq; Fratribus.

Hunc ait Piespordius cum Reginaldo Burgundo non minus quam Patrem bellum velut Hæreditarium gessisse, et totius Burgundiæ minoris Principatum occupasse, quod tandem ab Imp. Friderico I. hac lege pax utrinq; facta est, ut comitatus Burgundiæ Reginaldo pareret, Aventici, Antuates, Vindones et nonnulla in Allobrogibus et Sedunianis Berchtoldi essent. Cui præter dabetiam Advocatias trium Episcopatuum Lausannæ, Genevæ, et Seduni dedit, Imperator titulum autem Regni Arelatensis /: quo hactenus Zeringenses usi :/ ipse sibi et Imperio vindicavit. Hæc paulo pluribus verbis Guillimannus, additq; quod Fridericus Imperator ducta ejusdem Reginaldi filia unica Beatrice Virceburgi nuptias celebravit.

An. 1152. Berchtoldus IV. Dux fundationem et privilegia, juraq; omnia Monasterio S. Petri concessa ab avo, patre, ac patruo suo confirmat. Testes hujus rei adhibiti Adelbertus frater Divi- - - - Conradus de Lövenstein, Berchtoldus de Bergen, Rudolphus de Bredingens /: idest Brigantinus comes von Bregniz :/ Diethelmus de Croij, Cunradus de Suarzenberc, Luthodus de

Tegernfeld, Cunradus de Crenchingen, Egelolfus de Haſela, Wernherus de Uſkirſen, Erwelinus de Spawersegge, Wilhelmus de Croienburg, Adelbero de Palma. Et ex clientibus Ducis Vdalricus de Rinach, Wernherus Roggenbach, Wernherus de Rhinfelden dapifer, et frater ejus Gebhardus, Burchardus de Tonfeel, Waltherus de Taſchuangen, Cuno de Blanckenberg, cum aliis quam plurimis. Hæc acta ſunt IV. Non. Iun. anno ut ſupra.

Hæc eadem apud Uberlingen IV. Julij prædicto Duce Berchtoldo unacum matre præſente firmata ſunt, et plures perſonæ nobilium adfuere, viriqz, quorum nomina hic ſcripta ſunt in teſtimonium: Hermannus marchio, Alvius Comes, Cunradus filius Advocati de Suarzenberg, et frater ejus Wernherus, Rudolphus de Windiſegg, Waltherus de Houe, Berchtoldus de Steinegge, Henricus de Tengrin, Gebhardus de Twile.

In Friderici Imp. Italicis expeditionibus, quæ geſſerit Bertholdus Zeringius, vide apud Guillim. Urſpergenſis hoc de eo memorat: Conceſſit Fridericus Imp. Cremonenſibus tres nobiles Principes de parte ſua, qui exercitum eorum conducerent et regerent, Cunradum fratrem ſuum Palatinum Rheni, et Bertholdum Ducem de Zeringia; et alibi: Imperator conſilio Ducis Bertholdi de nocte conſurgens nemore medio inter Papiam et Mediolanum latenter ſe cum multis militibus ad inſidias collocavit, vexillo ſuo commiſſo Duci Zeringiæ; ex improviſo ſuper hoſtes irruit, et eos in fugam vertit. In quo conflictu

 captivati ſunt Mediolanenſium pluſquam 300. et occiſi fere 600. &c.

Condidit hic Friburgum Vechtlandiæ an. 1179. et Bernenſis quoq; Civitatis fundamenta jecit, ab urſo raræ magnitudinis, quem illic ceperat, nomen imponens. Obiiſſe dicitur VI. idus Sept. an. 1186. ſepultus eſt ad D. Petri monaſterium ante Crucem. Filium reliquit Bertholdum V. Ducem, filias Agnetem Eginoni Uracenſi, et Annam Wernhero Kiburgienſi Comiti nuptas.

De Rudolpho fratre Berchtoldi IV.

Guilliman. an. 1160. Maguntiacenſes Arnoldum Archiep. ſuum in S. Jacobi extra urbem monaſterio trucidavere. Cædis auctores quaſi ad præſidium ſceleris Rudolphum Zeringienſem, Leodii Epum Bertholdi fratrem antiſtitem ſubrogaverunt, erat enim /: inquit Cunradus archiepiſcopus :/ Rudolphus vir potens, ipſius Imperatoris amicus, conſanguineus, propinquus. Ad quietam nihilominus Moguntinæ Sedis poſſeſſionem non pervenit, ſed is, quem modo nominavi, Cunradus comes palat. Witelſpac. eam obtinuit, qui ſuorum temporum annales ipſe ſcripſit.

Quod in itinere, quo Romam Confirmationis petendæ gratia petebat, Rudolphus deceſſerit, error eſt, nam poſt moguntinam repulſam Leodienſi Epiſcopatu contentus multis adhuc annis vixit, Fridericum Imp. in aſiaticam expeditionē

proſecutus, ab illa demum rediens, non Lauſannæ, ſed in villa ſua Herdra, antequam ad ſedem ſuam regreſſus eſſet, morte interceptus eſt, an. Domin. Incarnat. 1190. ſepultusq; ad D. Petri in Hercinia ſeorſim in ſiniſtra parte ſepulchri paterni. In Necrologio dies deſignatur: an. 1190. Non. Aug. Depoſitio p. m. Rudolphi Epiſc. Leodienſis, fratris Bertholdi IV.

Subjungunt Annales S. Petrini: Tertius extitit frater ejus Adelbertus, qui ſecedens caſtrũ Tegg cum omnibus appendiciis ſibi vindicavit.

Hugo quartus frater eorum prædia non parva et beneficia in Briſgaudia nobis contulit.

Clementiam eorum Sororem Henrico Leoni Bavariæ Duci, aſt propter Conſanguinitatem /: avunculus enim erat :/ ſeparatam an. 1162. tradit Pieſpordius.

Cap. XXII.

De Hermanno III. Marchione Badenſi et Veronenſi

De hoc Hermanno tradit Piſtorius a Friderico Cæsare magno avunculo ſuo Verona donatum et Marchionis Veronenſis titulum ei adjectum. Dubitari non poteſt, bellis Longobardicis affuiſſe Cæſari Hermannum et fidelem operam navaſſe, quando Mediolanenſium contumaciam fregit an. 1162. et pleraſq; Longobardiæ urbes in poteſtatem redegit.